

SCRIPTA

Numéro Scripta : 5321

Auteur(s) : Coutances (official)

Bénéficiaire(s) : Jean l'Angevin [particulier]

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1272, 7 juin

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Anquetil du Fae, de Saint-Christophe-du-Foc, et sa femme, Nicola, vendent un tiers des dîmes de Bretteville-en-Saire à Jean l'Angevin l'aîné, Jean l'Angevin le jeune et ses frères, pour quatre-vingt livres tournois.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Fontanel Julie, *Le cartulaire du chapitre cathédral de Coutances*, Saint-Lô, Archives départementales de la Manche (Sources inédites sur l'histoire du département de la Manche ; 1), 2003, n° 51, p. 162-163.

Texte établi d'après a

Anno Domini M° CC° LXX° secundo, die martis post Assensionem Domini, [officialis Constantiensis, salutem in Domino]. Presens in jure coram nobis, Valoniis, Ansquetillus de Fago, de Sancto Christoforo, confessus est se vendidisse et concessisse in perpetuum Johanni l'Angevin seniori, Johanni l'Angevin juniori et Thome l'Angevin fratribus, tertiam garbam duarum garbarum decime de Bretevilla in valle Sare ad ipsum Ansquetillum spectantem ratione Nicolae uxoris ipsius A[nsquetilli], filie quondam Nicholai l'Angevin, pro quatuor viginti libris tur. quas dictus Ansquetillus a dictis fratribus habuit et recepit, prout ipse confessus fuit in judicio coram nobis, tenendum, habendum et jure hereditario possidendum a dictis fratribus et eorum heredibus libere, pacifice et quiete, salvo jure domini capitalis, ita quod dictus Ansquetillus tenetur et se obligat dictis fratribus et eorum heredibus dictam tertiam garbam duarum garbarum deliberare et defendere et etiam ab omnibus servitiis quocumque nomine censu acquitare ; adque premissa idem Ansquetillus se et heredes suos obligat et omnia sua mobilia et immobilia presentia et futura et vult et concedit quod per nos ad omnia premissa observanda efficaciter compellatur et juravit quod premissa omnia adimplebit et in eadem jur[avit] instanter. Prestitit dictus Ansquetillus Nicholae, uxoris sue auctoritate, omnia precedentia et subsequencia concedendi et promittendi et ad ea se obligandi et in eadem jur[avit] instanter. Presens coram nobis dicta Nicholaa spontanee, non coacta, confessa est cum auctoritate dicti Ansquetilli, predictam venditionem predictis fratribus a dicto A[nsquetillo], marito suo, factam de predicta tertia garba duarum garbarum dicte decime, de ipsius Nicholae, voluntate spontanee factam esse, et se eam ratam et gratam habere promittens et obligans se predictam venditionem inviolabiliter servaturam et se contra non venturam et se nomine pene tanquam commisse predictis fratribus centum libras tur. soluturam, si ipsa decetero contra dictam venditionem per se vel per alium veniret, seu in ipsa predictos fratres, vel ejus heredes, ratione venditionis predictae molestaret, impediret vel etiam perturbaret, et juravit dicta uxor, tactis sacrosanctis evangeliiis, quod contra predictam venditionem non veniet decetero nec dictos fratres vel eorum heredes, ratione venditionis predictae seu decime predictae, decetero molestabit, impetet seu perturbabit, per se vel per alium, ullo modo ; et quod omnia et singula premissa integre a[d]implebit et observabit, volens et concedens quod per nos ad omnia et singula predicta tenenda et implenda compellatur et quod, nulla monitione premissa, excommunicetur et a nobis, tanquam rea

perjurii puniatur et quod ei omnis audientia denegetur, si contra premissa vel eorum alterum veniret ullo modo et ad hoc se et omnia bona mobilia et immobilia obligavit ; et renuntiaverunt dictus Anquetillus et Nicholaa exceptioni doli mali, juris, in factum, pretii non soluti, et dicta uxor, exceptionibus omnibus et auxiliis juris pro mulieribus interduttis, et nos, dictos Ansquetillum et Nicholaam presentes, volentes et consentientes ad omnia et singula predicta tenenda, adimplenda dictis fratribus condempnamus. Actum anno et die predictis, de consensu partium predictarum. Qua die dictus Johannes senior fuit receptus pro dicto Thoma ad penam unius marchi argenti de rato cavendo.